DE

CEPHALALGIA

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE

ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI

PRAESIDIS ET DIRECTORIS

PERILLUSTRIS AC SPECTABILIS DOMINI

DECANI

NEC NON

CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM

D. D. PROFESSORUM

PRO

DOCTORIS MEDICINAE LAUREA OBTINENDA

IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA C. R. UNIVERSITATE PATAVINA

PUBLICO ERUDITORUM SCRUTINIO SUBMITTIT

Josephus Klaber

Bohemus Altbuchensis

PATAVII

TYPIS CARTALLIER

M. DCCC. XXXVI

DEFINITIO ET DENOMINATIO.

Cephalalgia (ex κεφαλὴ caput et αλγέω doleo) non una ab omnibus ratione definitur. Sic Frid. Hoffmanno (L. c. P. II. C. I.) dolor cephalicus est valde molesta membranis nervosis capitis a variis causis distractis suscitata sensatio, quae pro differente gradu et loco, varia et gravia saepe post se trahit symptomata. Burserius (Instit. med. pract. Burserii T. III.) ait: Dolor, qui ad caput attinet, definiri potuit molesta atque insolita quaedam gravitatis, punctionis, distensionis, compressionis, pulsationis, vel similis alius ingratae sensationis, totum caput aut ejus partem afficientis, perceptio. Secundum Sauvagesium: Est capitis gravitas vel sensatio molesta,

qua refert caput interius distensum, turgidum et quasi gravatum.

Quibus sententiis collatis, omnes eo convenire videmus, quod cephalalgia sit sensus doloris, ex nervorum caput prospicientium nimia sensibilitate oriens.

Distinguunt etiam cephalalgiam a cephalea, sub priori dolorem recentem a causis evidentibus, non tamen nimis, violentis, ortum ducentem, sub posteriori vero dolorem inveteratum et pertinaciorem intelligentes. Dolor vero unum dumtaxat capitis latus affligens, Hemicrania (a graecis vocabulis ἡμὶ semis et κρανιον calvaria) peculiarem locum torquens spatioque exiguo ad ovi fere magnitudinem concentratus, Ovum adpellatur. Clavus autem intollerabile doloris genus est, multo minus spatium occupans, veluti clavi alte defixi speciem referens, ac quoniam foeminas frequentius hystericas corripit, clavus hystericus vulgo vocatur.

Divisio.

Variae et sub diverso respectu statuuntur hujus doloris divisiones, quorum praecipuae sunt.

Quoad sedem: in externum et internum, prouti modo interiores, modo exteriores capitis partes adficit.

Quoad extensionem: in universalem, totum caput occupantem, et partialem, in determinata capitis parte haerentem, et pro diversitate loci in frontalem, occipitalem, syncipitalem, verticalem, et temporalem.

Respectu temporis: est vel acutus, Cephalalgia dictus, vel diuturnus, inveteratus nomine Cephaleae nuncupatus. Quoad causas: in idiopathicum, sympathicum et symptomaticum.

Quoad characterem: in plethoricum, inflammatorium, nervosum, cachecticum, atque in illum cum vel sine febre.

Summi momenti tandem distinctionem habemus in simplicem et complicatum, prouti cum nullo morbo conjunctus est, aut cum cohorte morborum incedit, quo etiam referendam esse censemus cephalalgiam primariam si protopathicam, quae in homine ex dispositione et potentia nocente concurrentibus nascitur, et secundariam si deuteropathicam, quae ex morbo quodam primario ad certum usque gradum provecto emergit.

Causae cephalalgiae praedisponentes.

Extra omne dubium positum est, ad omnem morbum praeter causas excitantes propriam requiri dispositionem. In cephalalgia ergo praeter excedentem systematis nervosi sensibilitatem cum debilitate non raro haereditaria junctam, plethoram universalem, occupationes varias, vitia organorum nobilium sanguine divitum, morbos imprimis cordis et vasorum majorum et infarctus viscerum, quibus sanguinis torrens retardatus aut impeditus obnormiter saepe versus caput dirigatur, specialis etiam occurrit dispositio, quae in ea habetur amplitudine cranii, quae cerebri molem praeponderare indicat, quae cum collo brevi, crasso, thorace angusto et complanato humorum congestionibus eminenter favet; nec non in majore animi mobilitate, indefessaque mentis facultatum intensione.

Causae Excitantes.

Singulas cephalalgiae species perlustrantes, quam plurimas iuvenimus prophases huicce mor-

bo generando faventes, quas in idiopathicas sympathicas et symptomaticas dispescimus.

a Idiopathicae: quidquid partes sive interiores, sive exteriores sentiendi facultate praeditas urget, distrahit, divellit, comprimit aut quocumque alio modo irritat aut laedit. Quo spectant laesiones integumentorum capitis communium, galeae aponeuraticae, lapsus, contusiones, vulnerationes, fracturae, depressio, fissura cranii, concussio, laesio cerebri meningumque; serum accumulatum, praesertim acre aut confertim et repente effusum imprimis inter membranas et ventriculos; adfectus animi et pathemata valida, vigiliae protractae, meditationes seriae, intensae diu continuatae; vehemens sanguinis impetus aut congestio, copia nimia meningum cerebri vasa atque sinus extendens; metestases variae; meninges incrassatae, ossificatae, cerebrique suppuratio, ulceratio etc. Denique vermes in cerebro nidulantes a multis accusantur, quod vero Morgagnius impugnat. Non enim eos in cerebro reperiri posse ipse credit, nisi in illud extrinsecus irrepserint, neque vermibus in cranii caveam ullum patere aditum, nisi ulcere naribus aut calvariae ossibus exesis via illuc paretur, quod rationi utique con-

sentaneum videtur, tamen Taeniam hydatigenam in ventriculis cerebri nidulantem vidit Iohan. Aug. Wohlfati (de vermibus per nares excretis. Hal. Magdeb. editae ann. 1768).

b Sympathicas causas constituunt ventriculi per cibos potusque copiosos distentio, per materias digestu difficiles, pingues rancidas vel putridas; flatus ventriculum extendentes, viscerum abdominalium praesertim in hypochondriis sitorum infarctus, omnis viscerum intestinalium affectio, spirituosorum et narcoticorum abusus; oculorum intentio nimia; quaelibet gravis admodam vel ingrata in organa olfactus et auditus impressio, sternutatio, tussis, vomituritiones frequentes; non minus uterus in mira versatur cum encephalo sympathia, hinc in menstruantibus paulo ante catameniorum adparitionem et durante ipsa periodo observatur cephalalgia; venus immodica aut turpissimum onaniae vitium, pollutiones diurnae vel nocturnae (Mühels Abhandlung von den Nervenkrankheiten Wien 1798. S. 70.)

Quam maxime dignae sunt porro suppressae sanguinis consuetae evacuationes, intermissa venaesectio in iis, qui ei adsueverint; ulcera incaute siccata; morbi exanthematici retropulsi, atque

impetigines retrogradae; virus plicae polonicae praesertim repulsum aut retentum; denique spasmi quicumque liberum humorum circuitum impedientes.

c Symptomaticam cephalalgiam comitem habent febres et morbi febriles inflammatorii ac exanthematici; adfectiones catarrhosae et rheumaticae. Constituit praeterea grave interdum hypochondriae, hysteriae, melancholiae, syphilidis inveteratae, arthritidis et scorbuti symptoma. Ut igitur pauci occurrant morbi, quos dolor capitis non comitetur, sive febriles sint, sive non sint.

Nosogenia.

Summae in perscrutanda causa cephalalgiae proxima, uti cujusvis doloris, sese obtrudunt difficultates, a peritissimis in arte viris nondum solutae nec a nobis penitus solvendae, quouspiam natura nervorum ex integro non fuerit perspecta.

In doctrina Hippocratica causa continens doloris est sola continui solutio. Galenus (Lib. II. de loc. aff.) dolorem in genere definit tristem sensationem, sic innumerae adhuc prostant hypothe-

ses, arcti autem hujus libelli limites nobis solum adducere permittunt, quidquid ex naturae scrutinio castoque ratiocinio extricari licet, quamquam veritatis solum umbra sit.

Secundum cl. Hartmannum « Dolor est sensa- » tios mentem graviter affligens a violenta nervo- » rum irritatione ».

Omnis ergo adfectio dolorifica, seu dolor a systemate nervoso originem ducit atque hoc inter cuncta systemata qua sedes doloris praecipua considerari meretur. In capitis dolore tam externo quam interno substratum est caput et quidem omnes ejus partes membranaceae, osseae ac nerveae internae tum externae, hinc etiam cerebrum ipsum, quod rationi eo magis respondet; quum docente Gall et Tiedeman, (Beobachtungen über das Nervensystem; Meckel Deutsches Archiv fur Physiolg. I. Band. S. 161) cerebri substantia pro efflorescentia nervorum et medullo spinalis haberi possit, et inflammata observationibus Strök et P. Frank sensum prodat imo in inflammationem excandescat.

Quid ergo obstat, quominus cerebrum in tato suo ambitu vitalis efficientiae focum, unde omnis energia emanat, sistat? et qui medicus

haec animo secum adducta reputans non convincitur morbum hunc saepius quam autumant, tyranidem exercere in ipsum cerebrum?

Diagnosis.

Cephalalgiam variam pro individuali dispositione causis excitantibus morbis principalibus et coexistentibus, organis adfectis diversa comitantur symptomata, hinc illis inveniendis et ad examen revocandis, quam solliciti esse debemus, quum praecipuus diagnoseos cardo versetur in assignanda natura et sede dolorum.

Quae omnem cephalalgiam plus vel minus comitantur symptomata sunt: tinnitus et susurrus aurium, caligo oculorum lacrimis innatantium aut prominentium, horrores, appetitus dejectus, nausea, vomitus, lingua balbutiens, masticatio difficilis, facies aut rubra aut pallescens collapsa aut tumida, sicca aut sudore madida, anxietas, morositas, adiaphoria, delassatio, meditationis impossibilitas, stupor, insomnium, distensiones musculorum, jactatio corporis, auditus aut gravis aut nimis acutus, stridor dentium, oscitatio, suspiria, pulsatio arteriarum temporalium, urina limpida,

pulsus parvus, contractus, aut fortis, magnus, durus, et innumera symptomata alia sociata incedere solent.

Externa cranii velamenta adfici, cognoscimus, si dolor solum attactu aut cutis compressione extrinsecus facta intenditur, si rubor aut tumor aliquis oculis pateat, si adest contusio, vulnus, abscessus, tumor calorque topicus, functionibus cerebri nil aut parum laesis. Sedem contra doloris intra calvariam indicant notae contrariae imprimissi cum dolore mens stupeat, oculi caligant, aures tinniant, et strepitum quemque moleste ferant.

Crassam meningem adfectam esse inde conjicimus, si dolor simul ob pericranium illi mediantibus fibris per suturas transeuntibus connexum ad interiora vergat; piam matrem vero, si dolor in profundo haereat, et cerebro quasi immersus esse videatur; vox etiam subinde sine alia causa intercipitur, deglutiendi facultas laborat, musculi cervicis et mandibulas adducentes contrahuntur, oculi rubore suffusi lacrymis innatant, membra contermiscunt, caput crebra vertigine tentatur, et si vehementior est morbus, vomitus aut vomendi conatus aut delirium tandem accedunt. Interdum tanta adest internarum partium noxa,

ut ad retinam et tunicam choroideam propagetur, oculi lucis impatientissimi fiant, acriter doleant atque illacryment.

Signis doloris a vi mechanica inducti locus aptior in chirurgia assignatur.

Dolor capitis a vitio aliquo organico exortus difficillime nonnunquam est cognitu et exactissimum deposcit examen in omnia tam praegressa quam praesentia. Accidit interdum, ut mali diuturnitas, acerbitas doloris peculiarem locum torquentis, nil simul proficientibus artis auxiliis, aliquid lucis in conjecturam de vitio organico spargant. Numeratur huc capitis dolor, qui pressionem cerebri ab aqua, pure, sanguine extravasato, tumoribus et excrescentiis lamellae cranii interioris insequitur, et ex doloribus magis obtusis, mentis stupore, ex paralysi lateris oppositi nonnunquam et ejusdem, motibus convulsivis spasticisque, delirio et sopore alternatim sibi succedentibus, oculo fixo, palpebra prolapsa, pupilla dilatata immobili, respiratione profunda stertorosa, temperatura cutis normali, pulsu normali vix frequentiori, imo rariori, pleno, forti, duro, ex tumore aedematoso in capitis parte externa nonnunquam adparente, et ex causa praegressa co-

gnoscitur. Abditiora vero vitia malae conformationis et structurae praenoscere, humanae mentis limites pene excedit.

Qui ex sordibus gastricis et consequenter eo fafacilius, quo debiliores sunt vires digestionis, frequenter oriuntur capitis dolores se manifestant sensatione gravativa, digestionis turbis, ructibus copiosis, doloris augmento sub digestione, levamine conspicuo, aut a vomitu aut ab alvi ductione et causis occasionalibus quam plurimis, quas adtente inquirit medicus circumspectus, hinc etiam ulteriorem descriptionem superfluam censemus. Ejusdem generis doloris sunt: Cephalalgia bradypepta, biliosa C. saburralis, C. pituitosa, C. a vermibus, quae ultima autem probe distinguenda ab illa, quam vermes et insecta in naribus, sinubus frontalibus et antro Highmori nidulantes excitant, quum illa tempora et radicem nasi sibi vindicet et ex confirmata praesentia vermium in tubo intestinali dignoscatur; haec autem suum dominium in lucem ponat dolore ad radicem nasi, in regione sinnum frontalium fixo et pertinace, narium pruritu et ariditate, sternutatione frequente, odore oris foetido et vertigine subinde recurrente. (Vogel. Acad. Praelect. dc cogn. et curandis morbis

§ 420). Signum vero magis proprium et ferme peculiare doloris ab hac causa illud saepe est, quod cum rosionis et bestiolae sese intus moventis sensu conjungi consuevit (Burserius).

Cephalalgia a plethora universali, vel partiali, cephalalgia pletorica, sanguinea congestiva dicta, omnium fere comunissima, eam indicant: sensus gravedinis in capite notabilis, dolor tensivus, pulsans, pungens, flexione corporis et excitantibus augendus; caloris augmentum, faciei rubor, (quia tamen abesse potest, sanguinis torrente ad penetralia nimis propulso) oculorum splendor, protrusio, lacrymarum calidissimarum fluxus, lucis impatientia, oxyecoia; difficultas cogitandi, reminiscendi, vertigo, somnolentia, signaque alia plethorae; porro cephalaea a causis provocata, quae sanguinis copiam augent, aut ejus motum impetumque ad caput concitant, uti: adfectus animi excitantes, insolatio, abusus spirituosorum, motiones corporis, vestimenta justo angustiora, obstructiones viscerum, vitia cordis vasorumque majorum etc. Quas huic capitis dolori adnumeramus, species sunt.

Cephalaea haemorrhoidalis, C. catamenialis, C. gravidarum, C. catarrhalis, C. rheumatica seu

914—

rheumatismus capitis. Non inique etiam huc referri posset cephalaea a plicae polonicae retentione aut capillitii plicosi resectione orta et non raro cranii cariem inferens.

Quae sedem suam immediate in nervis et cerebro habet, cephalalgia nervosa audit, dolor hicce acutus est vel obtusus, terebans aut distrahens, gravans aut pungitivus cum sensu aestus, aut glaciei, aeque subito invadens ac evanescens, saepe periodicus, totum caput vel aliquam ejus partem occupans, et quidem vel latus integrum vel parvum tantum spatiolum; modo citissime evanescens, alias longius perdurans, affectiones sympathicas facile excitans, ventriculum et genitalia praeprimis in consensum trahens. Clariorem adhuc diagnosin reddunt: constitntio aegri nervosa, causae excitantes, subitanea mutatio symptomatum, vertigo, inquietudo, spasmi et convulsiones, animi deliquia, juvantia et nocentia. Huc referuntur capitis dolores a potentiis nocentibus inducti, quae systema nervosum infringunt et stimuli impatientiam advehunt, quales sunt; profluvium sanguinis, jactura humorum nobilium, aliarumque secretionum, lucubrationes protractae, adfectus animi deprimentes,

insomnium, typhus nervosus. Ejusdem generis dolores sunt:

Dolor capitis febricosus vel intermittens, est larva febris intermittentis et cognoscitur ex illis, quibus istae larvae generatim distinguuntur. D. capitis toxicus, dolore pertinaci, et diro eminens, et ex propinatione veneni, parca quidem manu, sed per longius temporis intervallum, facile eruendus. D. capit hypochondriacus, hystericus et melancholicus formam clavi, sedemque in vertice amat.

Dolor, qui unum, vel alterum latus affligere et periodos servare amat, Hemicrania. (Migraine halbseitiger Kopfschmerz) audit. Ad solis ortum plerumque incipit, vehementius desaenit ad meridiem, sole vero reclinante remittitur et desinit. Idcirco etiam morbus solaris a quibusdam (Burserius) nuncupatur. Interdum etiam vespertinis aut nocturnis horis suos circuitus perficit, sed hoc rarius contingit. Paroxismi exurgentes variis molestiis, vertigine, scotomia, aversione pulveris nicotiani etc., praenuntiantur et ad tantam quandoque altitudinem, evehuntur, ut omnium rerum incurii, cogitando impares, statuae ad instar rigidi et quieti decumbant, nec minimum

susurrum nec dubiam luculam perferant, neque loqui tantillum neque tangi in qualibet corporis parte possint.

Inchoat saepe a palpebra, alias a radice nasi, aut quocumque tandem loco praegresso horrore valido, diffunditur per frontem, tempora, occiput ad nucham usque. Principalis nonnumquam dolor in orbita est, oculumque protrudere aut retrahere videtur, largam causans epiphoram visusque imbecillitatem et scintillarum apparitionem cum naris ejusdem lateris obstipatione. Frons sudore viscido tegitur, musculi faciei convelluntur, imo spasmi locum habent in remotioribus quoque partibus; insultus hystericus, sensus formicationis in extremitatibus, magna anxietas, magnaque virium prostratio. Somnus, sudor universalis, vomitus, epiphora, nonnumquam epistaxis finem insultui imponere solent, remanente sensibilitate et debilitate. Durat talis insultus per exiguum hinc inde tempus, alias per plures horas, imo per tres dies. Ab initio ter quaterve periodice omni anno invadit, paulatim frequentius omni mense, septimana et saepius adhuc adparet.

Plerumque sinistra capitis pars sedes mali, alias ad tempora saevities maxima restringitur;

foeminas sensiliores praeprimis infesta et in viris hypocondriacis observatur.

Sub longiori decursu visus, olfactus et auditus organa patiuntur, oritur amaurosis, surditas, anosmia, memoria hebescit aut morbus in asthma, (Tissot) hypochondriam et melancholiam transit.

Est adhuc capitis dolor, quem acrimoniis in organismo humano generatis originem debere putant, cephalaea chachetica s. cephalaea et cachexia a cl. Berend (Vorlesungen über practische Arzneywisenscaft herausgeg won Sundelin. B. 8. S. 8.) dicta, ex cachexia arthritica, psorica, syphilitica, scorbutica, scrofulosa oriunda, de cujus natura facile ex praesentia cachexiae ipsius concludes.

Terminationes.

Transit cephalalgia in sanitatem, alios morbos, nec non in mortem.

1. Abit in sanitatem: causa remota, morbo recenti, vel per crises manifestas aut metastases, uti; per epistaxin, haemorrhoides, alvi fluxum, vomitum, sudorem, exanthemata, abscessum, per effluvia similia e naribus et auribus, per ulcera,

erisypelas etc.; 2. in alios morbos et quidem in inflammationem meningum et cerebri, in suppurationem, exulcerationem, concretiones, ossificationes, callositates, polypos, extravasationes sanguinis, seri, in apoplexiam, maniam, melancholiam, amaurosim, surditatem, paralysin, convulsiones, spasmos etc.; 3. in mortem, quem exitum raro sumit, sat saepe vero morbi per eam adlati residuam vitae flammam extinguunt.

Prognosis.

Quae in cephalalgia futuro eventu praesagiendo tutissime ducit prognosis est empyrico-rationalis, deprompta ex numerosis oculatorum medicorum observatis.

Dolor in genere, qui exteriores capitis partes tenet, minus periculi habet, quam qui interiores plectit, idem valet, si dolor sit recens, a causa facile depellenda, tum vel sponte remota causa, vel haud aegre levibus remediis adhibitis, cessare solet. Contra difficilior est curatio, si dolor est internus, inveteratus, facili occasione revertens, aut si cum passione hysterica vel hypochondriaca est conjunctus. Difficillime autem, imo plane

non sanatur, si a conformatione aliisque, nulla ratione, abigendis vel corrigendis vitiis oriatur. Malum significat febri acutae superveniens, si cum urina tenui et pellucida, quae prius crassa et sedimentosa fuit, copuletur; itemque, si senescentibus aut ex angina decussa aut citius recedente, repente superveniat; ad cerebrum enim morbidam fieri materiem, phrenitidemque imminere certum est indicium. Nec faustioris ominis est, si ex acuto vehementique mitior statim evadat aut cesset, nulla facta evacuatione critica, sentiendi enim facultatem exstingui gangraenamque minari compertum habemus. Perniciosum est, in capitis dolore idiopathico frequenter vomere praesertim aeruginosa, et cum surditate evigilare. Pessimum autem signum censetur capitis dolor in febri acuta cum virium dejectione, urinis cruentis, vel vocis abolitione, et rigore subinde accedente. Actum de iis, qui capite dolent cum levi aliqua surditate, manuum tremore, cervicis dolore, nigrasque emittunt urinas et nigra quoque vomitu effundunt. Mortiferum demum reputatur, in capitis dolore quaedam ante faciem observare, frustra museas venari, floccas, de vestibus carpere, et de parietes paleas detrahere.

Therapia.

Theraphia, ut in reliquis morbis, est vel directa, quae in causas rite cognitas et amovendas actionem suam intendit, vel indirecta, ubi causa incognita, aut cognita quidem, sed arte medica non amovenda; haec iterum aut rationalis, quae conclusionibus theoreticis nititur, aut empyrica, mera experientia suffulta. Quare et nos medendi methodum causis adaptabimus, dein morbis, quorum symptoma constituit, demum aliqua circa auxilia palliativa et regimen diaeteticum subjungemus.

Cephalalgia a lesione capitis dependens auxilia chirurgica deposcit.

Multa sunt vitia organica, quo etiam mala capitis conformatio vel a nativitate, vel a vi externa capiti illata spectat, exostosis, tophi, vasa rigida etc., contra quae ars parum, vel nil prorsus praestare valet. Hic eo intendendum, ut aegri cruciatus imminuantur. Jubeat hic medicus, ut temperantia in cibis et potibus exacte servetur, alvum apertam semper teneat, et quae circulum sanguinis accelerare possunt, motum for-

tiorem, calorem nimium, mentis intensionem etc., severe interdicat.

Maximis stipata difficultatibus est cephalalgia a mentis nimia intentione a vigiliarum et somni protractione orta; hinc quidquid circa hanc rem tradi potest, nonnisi maxime sunt generalia.

Talis itaque aeger, si fieri potest, degat ruri, vitet omnes lucubrationes, instituat sedulo motum in aëre libero, corpus per modica exercitia confortare studeat, victus sit nutriens non lautus. Qui animi adfectibus et pathematibus dediti sunt, adtentionem a determinatis objectis obstrahant et in alia dirigere tentent.

Dolor capitis sympathicus et symptomaticus pro diversitate morbi principalis diversam deposcit medelam. Has omnes medendi methodos pro diversitate casuum quivis medicorum adaptare sciet, hinc quum omnibus exponendis exactius non sit locus, quasdam morborum saltem formas adtingere conabimur.

In cephalalgia stomachica, si incedit cum cibi fastidio, cardialgia, oris amarore et vertiginosa capitis gravitate, emetico opus est. Nam praeter quod emetica ventriculum a saburra molestante, et consensuali modo cephalalgiam excitan-

te et sustinente liberent, totum systema nervosum salubriter concutiunt, sanguinis et aliorum humorum per vasa progressum sustinent, spasmos sedant, et sensorii communis operationes exorbitantes compescunt. Notandum tamen restat, quod emetica plethoricis propter orgasmum, quem ad encephalon dirigunt, non conveniunt.

Antiqua perstat lex, saburram ea via eliminandi, qua tendit natura, hinc purgantia adhibebit medicus, quando materiam noxam ad inferiora magis vergere observat. Non autem drastica sunt seligenda, quae systema vasorum fortius stimulando, malum potius exasperare, quam sanare queunt: sed indicantur mitiora, quae absque notabili irritamento faciliorem solummodo reddunt alvi excretionem, quaeque simul tonum membranis relaxatis restituere valent. Omnium maxime ergo conducit combinatio salium neutrorum cum tonico-solventibus, seu amaris, uti: Gramen, Taraxacum, Cichoreum, Fumaria, Saponaria, Trifolium fibrinum, Rheum; absorbentia quoque non sunt excludenda, quae cephalagiae ab acido primarum viarum pendenti, optime apponuntur. Saepe etiam ope clysmatum praesertim visceralium dolor mitigatur.

In multis autem casibus, praesertim in hypochondriacis tali combinatione omni indicationi non satisfit. Talibus sub circumstantiis mox solventia fortiora et alterantia, mox antispasmodica sic dicta nervina, penetrantia, simul cum prioribus indicantur. Pertinet hic Gummi Ammoniacum, Gummi Galbanum, Assa foetida imprimis cum Saponaceis — Cort. et fol. Aurantiorum, rad. Valerian. Chamom. Castor. Liq. G. C. S. — acria varia: Stipit. Dulcam. Cicuta etc.

Quod si vermes in tractu intestinali nidulentes qua causa agnoscantur, medicamina in auxilium vocanda esse, quae illos conficiunt, necant aut expellunt, vix memorandum censemus, similique modo statui bilioso et pituitoso est prospiciendum.

Si plethora nexu causali observatur, bene inquirendam an haec universalis vel topica, an per constitutionem connatam, aut per victum nimis lautum, aut per evacuationes suppressas, vel retentas orta fuerit. In genere cephalalgiae ex plethora originem ducenti antiphlogistica methodus juxta plethorae gradum et speciem, juxta causae plethoram generantis diversitatem opponatur.

In cephalalgia ab haemorrhoidibus suppressis,

uti in illa a menstruis suppressis vel retentis cura contra morbum primitivum est instituenda. Cephalalgia gravidarum ab orgasmo sanguinis ad caput, nisi vehementer incedat, suffertur regimine solum diaetetico, victu tenui, aquae potu largiore, somno moderato, motu et quiete non immodica. Si vero dolores causantur gravissimi, qui et vitae periculum minantur methodus antiphlogistica generosior in usum trahenda, et venaesectiones non raro repetitae. Medicus vero semper sit cautus, nam observatur etiam cephalalgia a singulari mutatione nervorum inducta, quam remediis nervinis, antiphlogisticis levabit.

Impetigines et exanthemata regressa per sinapismum, emplastrum, aut unguentum cantharidum, frictiones aut per alia vesicantia, in locum, quem prius occupaverant, revocanda. In casibus desperatis ferrum candens aegrum orci faucibus eripuit. Transpirationem cutaneam suppressam, frictiones cutis cum linteis calidis aut panno, balnea tepida universalia, potus largiter assumpti, tepidi, uti: Inf. flor. Tiliae, Acet. Ammon., Pulvis Doweri, in nonnullis casibus Camphora, Moschus, Sulf. aurat. Antim., restituere paria se praebebunt. Scabiem retropulsam; Sulfuris usus inter-

nus, balnea tepida, inoculatio materiae scabiosae saepius revocant. Dum Arthritis ad interiora reflectitur, imprimis epispastica ad extremitatum articulos juvabunt. In consolidatis ulceribus ars in eodem loco, quo prius fuerant, ulcera excitabit. Si frustra haec tentata fuerint, stimulus antagonisticus in remoto organo excitandus, quod praestatur Vescicantibus, Fonticulis, Setaceis, Frictionibus, Purgantibus, Pediluviis etc. Aliquam etiam nonnunquam utilitatem promittunt: Tonsura, et Rasura pilorum, Lotiones ex lixivio cocto cum speciebus sic dictis cephalicis, uti Salvia, Melissa, Majorana, Ruta etc.

Datur etiam cephalalgia, ubi nulla causa manifesta, quae amoveri deberet, detegitur, nullaque occurrant phaenomena morbosa, quam quae a sensibilitate ultra normam aucta pendent, maxime in mulieribus hystericis, subjectis hypochondriacis, effeminatis, tenerioribus haecce cephalalgia nomine nervosae insignitur. Apparatus hic nervino tonicus erit seligendus, uti: Rad. Valerianae, Castoreum, Moschus, Liq. m. Hoffm., Liq. C. C. Succ. Chamomilla, Flor. Aurant., Camphora, Ipecacuan., Flor. Zinci, Decoct. fabar. Caffeae teste Berends Aqua foetida antihysterica. Magna

quoque in hoc morbo est vis Cort. Peruviani, qui sensibilitatem morbosam compescit, reactioni vim et constantiam, toti organismo robor addit; praeprimis tunc quoque locum invenit, si intermittentis symptoma cognoscatur cephalalgia. In hemicrania nervosa teste Berends magni est momenti Cinchoninum et Chininum Sulfuricum, cujus egregios effectus in Clinico Vindobonensi ipsi observavimus. Sic et Martialia omnium maxime. Ex Malat. Ferri, Aquae Soteriae, Aqua Pyrmontana, Egrana etc., usus balnei tepidi saluberrimos saepe effectus exserunt. Ab Electricitate, Galvanismo et Magnetismo multum exspectandum restat, sed difficile omnino determinatu, quia observationes haud numerosae riteque institutae adhuc desunt. In casibus nonnullis inunctiones Tinct. Stramonii cum Balsamo vitae Hoff. circa frontem et tempora, alias stillicidium ex mixtione Olei Cajeput drach. duabus, Aetheris Acet. unc. duabus, Liq. Ammon. caust. drach. una cum Signatura: Omni hora 50-100 guttae ad rasam capitis partem instillandae: magna praestitere in vehementi dolore nervoso (Hufelands Journal 1825 P. 64). Etiam embrocationes calidas et frigidas felici cum eventu in hemicrania ner-

vosa textavit Berends, cui quoque cucupha ex speciebus aromaticis cum Camphora capiti imposita satisfecit.

Si cephalagia pendet a profusa haemorrhagia, haec per Acida mineralia, Alumen, Digitalidem, Ipecacuanham, epithemata frigida etc. sistenda. Quae a copiosa diarrhoea repetitur, absente simul saburra in primis viis, optime per Mucilaginosa, Decoct. Salep, Sal Ammoniac., Rad. Colombo, Opium etc. sanatur. Jactura nimia seminis a masturpatione, peculiarem omnino sibi exposcit medelam. Talium nempe animus, cogitandi ratio aliis ideis, aliisque moralitatis principiis imbuatur; dein ab Acido Halleri incipiendum, ad amara transeundum, denique ad stimulos majores, Cort. Peruvian. Cinamom. Valerian. etc. ascendere licebit.

Scorbutus, lues venerea et scrofulosis, a quibus cephalalgia vel excitatur vel sustinetur, suis specificis remediis mitigari debent. — Cephalaea a scirrho carcinomate etc. vix sanationem radicalem, solummodo curam palliativam, admittit remediis sedantibus, narcoticis uti: Aqua Laurocerasi, Laud. liquid. Sydenh., Extr. Hyosciami, Lactucario, etc.

Regulae diaeteticae.

Requiritur, ut regimen diaeteticum correspondeat therapiae, ne alias artis conamina irrita redderentur. Convenit ergo in genere aër purus, serenus, nullis peregrinis exhalationibus, odoramentis graveolentibus impraegnatus. Vestimenta coarctantia, thoracula, ligacula colli et similia relaxentur vel amoveantur. Victus sit tenuis durante dolore, evitentur praeprimis cibi pingues, rancidi, fumo indurati, nimis farinosi, flatulentiam causantes aut caseosi. Potui inserviat aqua, aut succus Citri, aliave acida cum aqua remixta. Adsuetis concedi etiam potest Cerevisia bene defoecata, aut vinum melioris notae aqua dilutum. Omnes se-et excretiones in debita sua functione semper servandae, pathemata fugienda, et studia nimia, praesertim post pastum vitanda. Dormiat aeger elato capite vitetque stragula nimis calefacientia atque decubitum supinum.

THESES

I.

Continua remediorum variatio vacillantem medicum designat.

II.

Therapia simplicissima optima.

III.

Evolutiones naturales saepe sanant morbos quos remedia frustra oppugnarunt.

IV.

Cephalalgiam sanguineam opium auget, et apoplexiam minatur.

V.

Non dantur remedia absolute emenagoga.

VI.

Sanguinis missiones neglectae frequentissime morbos asthenicos causare valent.

VII.

Pathologia genaralis et specialis sine anatomia pathologica, qua basi, merum speculationis productum.

VIII.

Medico timido ne confidas, fugias semper audacem.

IX.

Et Opium nonnunquam alvum reserat.

X.

Aquae minerales artificiales, naturalibus nullatenus substitui possunt.

XI.

Lotiones frigidae in multis casibus diaphoreticum praestantissimum.

XII.

Pharmaca nova non statim divulganda, nec statim spernenda, sed cum cautela tentanda.